

lucrandas apposita est, ut pie, devote et
corde contrito recitentur.

3º Cum dicimus: *ordinariis conditionibus* ad plenarias indulgentias lucrandas, intelligimus confessionem, communionem et orationem juxta Ecclesiæ et Pontificis intentiones. Quod si oratio hæc visitando eccl esiam vel oratorium publicum fieri debeat, expresse subjicimus.

A. M. D. G.

APPENDIX

CONSPECTUS

CÆREMONIARUM SS. SACRIFICII MISSÆ
AD SACERDOTUM UTILITATEM

PROCEMIUM

« Quanta cura adhibenda sit, ut sacro-sanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu et veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitavit, maledictum in Sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam appareat, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxime fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur (1). »

(1) Conc. Trid., Sess. xxii Dœc.

APPENDIX

« Ideo sancta mater Ecclesia... nunquam destitit, omnem curam, operam diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a sacerdotibus... debito sacrarum cæremoniарum ac rituum apparatu cultuque celebraretur, ut ipsius mysterij magnitudo et majestas vel externa quoquè specie magis eluceat, et fideles ad rerum divinarum, quæ in tam admirabili et venerando Sacrificio occulे continentur, contemplationem excitentur (1). »

Cum vero saepe contingat, ut temporis cursu Ss. hujus Sacrificii externæ cæremoniæ in oblivionem abeant, ideoque desuetudine efflant; operæ pretium sacerdotibus facturos rati sumus, si eas manuali libello, tabellis quibusdam, eorum conspectui exponeremus, ut eas frequenter pervideant, in rebusque dubiis consulant, ne in Missæ celebratione aliquid prætereant, omniaque cum ea dignitate et reverentia peragant, quas et sacrosanctum ipsum Sacrificium et sancta romana Ecclesia a suis Presbyteris exquirunt. Tabellas hujusmodi a libro, cui titulus « Manuale Sacerdotum P. Jos. Schneider Soc. Jesu » quibusdam mutatis et adjectis, desumpsimus.

(1) Pius IX in Encycl. 3 maij 1853.

— 506 —
CONSPECTUS

CÆREMONIARUM MISSÆ PRIVATA

I. SIGNA CRUCIS FACIT CELEBRANS:

A. SUPER SEIPSUM ad verba :

- 1) *In nomine Patris* etc. initio Missæ
- 2) *Adjutorium nostrum* etc.
- 3) *Indulgentiam* etc.
- 4) *Ad Introitum* (in Missa de Requiem super librum).
- 5) *In gloria Dei Patris*, in fine *Gloria*.
- 6) *Sequentia vel Initium sancti Evangelii* (post signatum pollice librum, ter super frontem, os et pectus).
- 7) *Et vitam venturi* etc. in fine *Credo*.
- 8) *Benedictus qui* etc. in fine *Præfationis*.
- 9) *Omni benedictione* etc. in Canone.
- 10) *Da propitiatus* etc. cum patena.
- 11) *Corpus vel Sanguis D. N. J. C.* cum hostia vel calice.

B. SUPER HOSTIAM ET CALICEM manu recta,
ad verba :

- 1) *Benedic hoc sacrificium* etc. (semel super oblata).

- 2) *Hæc dona* etc. (ter super oblata).
- 3) *Benedictam, adscriptam* etc. (ter super oblata).
- 4) *Ut nobis corpus* (super hostiam).
- 5) *Et sanguis* (super calicem).
- 6) *Benedixit* (super hostiam vel calicem ante utramque consecrationem).
- 7) *Hostiam puram* etc. (ter super oblata).
- 8) *Panem sanctum* etc. (super hostiam).
- 9) *Et calicem* etc. (super calicem).
- 10) *Corpus et sanguinem* (bis separatum super hostiam et calicem).
- 11) *Sanctificas* etc. (ter super oblata).

C. CUM S. HOSTIA AD VERBA :

- 1) *Per ipsum* etc. (ter super calicem, tenendo manu sinistra).
- 2) *Patri omnipotenti* etc. (bis a calice ad pectus).
- 3) *Pax Domini* etc. (super calicem ter).

D. CUM OSTIA ET PATENA, deinde CUM CALICE super corporale post utrumque offertorium.

E. MANU super ampullam aquæ (præter quam in Missis defunctorum) ante offertorium calicis.

II. INCLINATIONES CAPITIS.

NB. 1º Inclinatio capitis triplex est: *profunda*, quæ respondet cultui latriæ, et tanta

esse debet, quanta citra humerum attractio-
nem fieri potest; *media*, quæ respondet cul-
tui hyperdulie, et minor prima fieri debet;
infima, quæ respondet cultui dulie et mi-
nima fit.

2º Inclinationes capitis fiunt versus li-
brum cum legitur Evangelium, etiam si
pronuntietur nomen *Jesu*. Cum vero pro-
nuntiantur omnia *Mariæ, Pontificis et*
Sanctorum quorum festum agitur, nun-
quam versus crucem capitis inclinationes
fieri debent.

Igitur fiunt INCLINATIONES CAPITIS
versus crucem:

- 1) Ad *Crucifixum* (in sacristia eundo et redeundo).
- 2) In medio altari post apertum mis-
sale antequam descendatur ad introi-
tum recitandum, et in fine antequam
descendatur ab altari.
- 3) Ad *Gloria Patri* quoties occurrit.
- 4) Inter *Gloria in excelsis* ad verba:
*Deo — Adoramus te — Gratias agi-
mus tibi — Jesu Christe — Suscipe
deprecationem — Jesu Christe.*
- 5) Ad *Oremus* quoties dicitur.
- 6) Ad nomen *Jesu et Ss. Trinitatis*.
- 7) Inter *Credo* ad verba: *Deum — Je-
sum Christum — simul adoratur.*

- 8) In Praefatione ad verba: *Domino Deo nostro.*
- 9) Ad utrumque *Memento*, dum fit commemoratio.
- 10) Ad verba: *Tibi gratias agens ante utramque consecrationem.*
- 11) Ad verba: *Per eundem Christum D. N. sed non ad Nobis quoque peccatoribus.*
- 12) Inter *Agnus Dei* etc.
- 13) Ad verba: *Jesu Christi* (versus Ss. Sacramentum cum sacerdos signat se ante sumptionem cum hostia vel calice consecrato).
- 14) Cum dicitur *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc.
- 15) Ad *Benedicat vos* cum dicitur *Deus.*
- 16) Ante discessum ab altari in infimo gradu capite operto, ubi non sit Ss. Sacramentum, secus genuflexio facienda.

III. INCLINATIONES CORPORIS.

- A. INCLINATIO CORPORIS MEDIA i. e. capit is cum magna humerorum attractione, sed absque profunda corporis depressione fit:
- 1) Ad verba: *Deus tu conversus usque ad Oremus* inclusive, non vero ad orationem *Aufer a nobis* etc.

- 2) Ad verba: *Oramus te, Domine, usque ad quorum reliquiae.*
 - 3) Ad verba: *In spiritu humilitatis* etc.
 - 4) Ad verba: *Suscipe, sancta Trinitas* etc.
 - 5) Ad verba: *Sanctus* usque ad *Benedictus* inclusive.
 - 6) Ad utramque consecrationem (cubitis super altare positis).
 - 7) Ad tresorationes ante communionem.
 - 8) Ad verba: *Domine, non sum dignus* etc.
 - 9) Ad communionem sacrae hostiae.
- B. INCLINATIO CORPORIS PROFUNDA i. e. tanta, ut manus pendulae genua attingere possint, fit:
- 1) In accessu ad altare capite operto, nisi sit Ss. Sacramentum, quia tunc genuflexio fit.
 - 2) Item antequam incipiatur Missa, nisi adsit Ss. Sacramentum.
 - 3) Cum dicitur *Confiteor* usque ad *Amen* post *Misereatur*.
 - 4) Cum dicitur *Munda cor meum usque ad Dominus sit in* etc. inclusive.
 - 5) Ad *Te igitur* initio canonis usque ad *petimus* inclusive.
 - 6) Cum dicitur *Supplices te rogamus usque ad quotquot.*

IV. GENUFLEXIONES.

NB. 1º Genuflexio ita fieri debet, ut genu tangat terram vel suppedaneum.

2º Fiat corpore erecto et recto, non vero hinc vel inde incurvato. GENUFLEXIO fit:

- 1) In plano *in accessu ad altare et in recessu ab eodem* unico genu si Ss. Sacramentum in tabernaculo asseratur; utroque genu si sit expositum.
- 2) Super primum gradum altaris *cum incipitur Introitus*, unico genu semper, quamvis Ss. Sacramentum sit expositum.
- 3) In suppedaneo:
 - a) Quotiescumque imperatur in *Epistola, Tractu vel Evangelio.*
 - b) In *Credo* ad verba: *incarnatus est usque ad homo factus est.*
 - c) Ante et post elevationem hostiae et calicis.
 - d) Post consecrationem quotiescumque actio aliqua fieri debet hostia vel calice, et quidem ante et post actionem.
 - e) Ad verba ultimi Evangelii *Et Verbum caro etc.*
 - f) Ad *Flectamus genua.*

NB. 1º Si Missa celebretur ubi Ss. Sacramentum sit expositum genuflexio

fit quotiescumque a medio ad latum altaris fiat transitus et deinde in redditu, sed semper in medio altari; nec non cum sacerdos vertitur ad populum.

2º Cum Ss. Sacramentum est expositum genuflexiones, quæ versus librum fieri deberent fiunt versus Ss. Sacramentum, excepta illa quæ fit ad *Flectamus genua.*

3º Quando Missa celebratur coram ligno sanctæ crucis palam exposito, genuflectendum est unico genu in accessu et recessu ab altari et quoties transitur ante medium altaris, seu a latere ad latus ex. gr. in incensatione Missæ solemnis.

V. MANUUM POSITIONES.

- A. MANUS PRIUS JUNCTÆ extenduntur, elevantur usque ad humeros et non ultra et junctæ ante pectus demittuntur:
 - 1) Ad *Gloria in excelsis Deo* (extendens et elevans).
 - 2) Ad *Credo in unum Deum* (elevans et extendens).
 - 3) Ad verba: *Veni sanctificator.*
 - 4) Ad verba: *Te igitur clementissime Pater.*

- 5) Ad *Memento* mortuorum usque ad finem.
- 6) Ad verba: *Benedicat vos* etc. vel *Benedictio Dei omnipotentis*.
- B. **MANUS (PRIUS NON JUNCTÆ) EXTENSÆ** elevantur et junguntur ante pectus:
 - 1) Ad verba: *Sursum corda* usque ad pectus elevando et jungendo tantum ad *Deo nostro*.
 - 2) Ad verba: *Fiat dilectissimi filii tui* D. N. J. C.
 - 3) Ad *Memento* vivorum usque ad faciem.
- C. **MANUS PRIUS JUNCTÆ** (non elevando) ante pectus extenduntur ab initio verborum et junguntur ad eorum finem:
 - 1) Ad *Oremus*, tamen ante *Pater noster* prius non junguntur.
 - 2) Ad *Dominus vobiscum*, ad populum versus.
 - 3) Ad *Orate fratres*.
- D. **MANUS PRIUS EXTENSÆ** (non elevando) ante pectus junguntur.
 - 1) Post orationes ad verba *Per D. N. J. C.*, vel in alia conclusione *in unitate*.
 - 2) Post Praef. ad *Sanctus* usque ad *Benedictus*.
 - 3) Post *Communicantes*, ad verba *Per eundem*.

- 4) Post *Hanc igitur ad verba Per Chr. D. N.*
- 5) Post orationes *Supplices, Memento, Nobis quoque peccatoribus*.
- E. **MANUS EXTENSÆ TENENTUR ANTE PECTUS**, scilicet ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat:
 - 1) Infra orationes omnes usque ad *Per D. N. J. C.*, vel *in unitate* ubi diversa sit conclusio.
 - 2) Per totam *Præfationem*.
 - 3) Inter Canonem fere semper, nisi exceptio exprimatur.
- F. **MANUS APERTÆ ET JUNCTÆ** ita ut pollex dexteræ cum pollice sinistræ crucem efformet, ponuntur super oblata:
Ad Verba: Hanc igitur oblationem usque ad numerari.
- G. **MANUS EXTENSÆ SUPER ALTARE** ponuntur:
 - 1) Quoties *celebrans osculatur altare*.
 - 2) Quoties *flectit genu ad altare*, excepta genuflexione immediate ante hostiæ elevationem, quia digitis hostiam tenet.
 - 3) Ad verba *Præfationis Per omnia — Dominus vobiscum*.
 - 4) Ante *Pater noster* ad *Per omnia* etc.

- 5) Inter *Epistolam, Graduale, Sequentia* manus possunt poni super altari vel i bro.
- B. MANUS SINISTRA SUPER ALTARI ponitur, sive intra sive extra corporale juxta rubricas :
 - 1) Inter *signum crucis* ad Introitum in Missa defunctorum.
 - 2) Ad verba : *Nobis quoque peccatoribus.*
 - 3) Inter *Libera nos usque ad da propitiatus* etc.
 - 4) Ad *Miserere nobis* post primum *Agnus Dei* usque ad finem , exceptis Missis de requiem.
 - 5) *Patenam tenens* inter signum crucis cum calice ante sumptionem.
 - 6) *Patenam tenens* dum porrigit calicem post sumptionem sanguinis.
 - 7) Dum facit signum crucis super altare ad ultimum Evangelium sancti Joannis.
- I. MANUS SINISTRA ponitur :
 - 1) *Super librum* quando dextera signatur Evangelium in libro.
 - 2) *Super calcis pedem* dum calix tegitur vel detegitur.
- K. MANUS SINISTRA INFRA PECTUS ponitur, et quidem post consecrationem, ita ut parvus tantum digitus vestem tangat :

- 1) Quotiescumque dextera sacerdos se signat.
- 2) Dum percutit pectus ad *Confiteor.*
- 3) In fine Missæ benedicens populum.
- 4) Quotiescumque dextera sola occupata est, et sinistra poni nequit super altare.
- L. MANUS AMBÆ JUNCTÆ SUPER ORAM ALTARIS ponuntur , ita ut digitii parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris partis tabulæ seu mensæ altaris tangant, residuo manuum inter se et altare retento , pollice dextro super sinistrum in modum cræsis posito, nisi consecratio facta fuerit:
 - 1) Ad verba : *Oramus te usque ad verbum reliquiae exclusive.*
 - 2) Ad verba : *In spiritu humilitatis.*
 - 3) Ad verba : *Suscipe, sancta Trinitas.*
 - 4) Ad verba : *Te igitur usque ad uti accepta habeas.*
 - 5) Ad verba : *Suplices te rogamus usque ad ex hac altaris participatione.*
 - 6) Inter tres Orationes ante communionem.
 - 7) Ad verba : *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc.
- M. MANUS JUNCTÆ ANTE PECTUS ita componuntur, ut extensis et junctis pa-

riter digitis, pollex dexter super si-
nistrum ponatur in modum crucis:

- 1) Omnibus in casibus, ubi alia positio supra prescripta non est; hinc ad *Introibo — Kyrie* — Gloria:*
- 2) Ante et post *Dominus vobiscum.*
- 3) Ante et post *Oremus* antequam manus extendantur ad orationem dicendam.
- 4) Ad verba: *Munda cor meum* etc. cum altare tangitur, item ad *Evangelium — Credo — Offertorium — Lavabo*, manibus detersis, — sub utroque *Memento* — post *Communionem hostiæ* — ante *Pater noster* — ad primum *Agnus Dei* et inter tria in Missis defunctorum — cum dicitur *Communio* — inter *ultimum evangelium* — et *ante omnem benedictionem.*

VI. OCULORUM ELEVATIONES AD CRUCEM.

NB. 1º Crux cum crucifixo, in altari in quo Missa celebratur, satis grandis esse debet, atque super tabernaculum inter candelabrum ita poni, ut non modo Sacerdos, sed et populus eam intueri possit.

2º Cum Ss. Sacramentum exponitur unaquaque ecclesia vel dioecesis suam de cruce apponenda consuetudinem retinere potest.

3º Crux in elevandis oculis aspicienda est.

a Sacerdote: oculi vero Sacramentum versus elevandi, cum expositum sit.

A. OCULI ELEVANTUR ET STATIM DEMIT-TUNTUR:

- 1) Ante verba: *Munda cor meum.*
- 2) Ad verba: *Suscipe, sancte Pater.*
- 3) Ad verba: *Veni, Sanctificator.*
- 4) Ad verba: *Suscipe, S. Trinitas.*
- 5) Ad verba: *Deo nostro*, sub initio Praefationis.
- 6) Ante verba: *Te igitur.*
- 7) Ad verba: *Elevatis oculis ante consecrationem.*
- 8) Ad verba: *Benedicat vos in fine Missæ.*

B. OCULI ELEVANTUR CONTINUEAT:

- 1) Ad crucem, inter *Oblationem calicis.*
- 2) In Ss. Sacramentum inter *Elevationem hostiæ et calicis.*

C. OCULI INTENDUNTUR IN SS. SACRAMEN-TUM:

- 1) Toto *Memento defunctorum*, dum Sacerdos orat.
- 2) Per totam *Orationem dominicam.*
- 3) Inter tres *Orationes ante Communionem.*

NB. Præter hos tres casus hæc oculorum intentio non prescribitur, licet fieri conveniat ad *Supplices, Agnus Dei, Domine non sum dignus* etc.

VII. OSCULA IN MISSA VEL EXTRA.

- A. FIUNT IN MEDIO ALTARI manibus extensis hinc inde positis:
- 1) Ad verba *Quorum reliquiae*.
 - 2) Ante *Dominus vobiscum et Orate, fratres*.
 - 3) Inter *uti accepta habeas*.
 - 4) Inter *ex hac altaris participatione*.
 - 5) Post *Placeat etiamsi non detur benedictio*.
- B. Osculandus *amictus ubi est crux, stola et manipulus dum Sacerdos induitur et his vestimentis exiuit*.
- C. OSCULANDUS MISSALIS post recitatum *Evangelium, et quidem ubi sunt prima verba textus sacri: non vero in Missa de Requiem*.
- D. OSCULANDA PATENA in extremitate ad verba: *da propitius pacem; sed vi-*tandum ne postea hostia hanc partem deosculatam tangat.

VIII. PROLATIO VERBORUM.

NB. 1º Triplici vocis modulatione Missa recitatur, nempe *alta, media et submissa seu secreta*. Dicitur *alta* quæ ab omnibus clare intelligatur, ita tamen moderata ut celebrantes in aliis altaribus non turbentur.

Dicitur *media* quæ aliquantulum elata sit seu tono familiari. Dicitur *submissa seu secreta* quæ a circumstantibus non audiatur, sed a solo Sacerdote proferente.

2º Submissa voce proferuntur in Missa solemni tantum, ut a solis ministris au- diantur, quæ elata voce dicuntur in Missa privata, nisi illa cantentur in choro.

A. VOCE ALTA proferuntur:

- 1) *Introibo cum reliquis, Introitus, Kyrie, Gloria, Credo.*
- 2) *Dominus vobiscum, Oremus, Collectæ, Epistolæ, Evangelia, Graduale, Sequentia, Offertorium, Præfatio.*
- 3) *Per omnia, etc. Præceptis salutari- bus, Pater noster.*
- 4) *Per omnia etc., Pax Domini, Agnus Dei.*
- 5) *Communio, Postcommunio.*
- 6) *Ite, Missa est — Benedicamus Do- mino — Requiescant in pace.*
- 7) *Benedicat vos etc.*

B. VOCE MEDIA dicuntur:

- 1) *Orate, fratres etc.*
 - 2) *Sanctus, Benedictus qui venit, No- bis quoque peccatoribus.*
 - 3) *Domine, non sum dignus etc.*
- C. VOCE SUBMISSA seu SECRETA alia omnia dici debent, sed maxime *verba con-secrationis*.
- D. MEMORITER DICENDA SUNT quæ com-